

Bibliothèque numérique

medic @

**By, Guillaume-Charles - candidat /
Allan, Guy-Felix - président. - De rupto
in partu utero**

1782.

Paris :

Cote : ms 2345, n°7



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x04x0007

CELEBERRIMO VIRO
 DD. CAROLO-TUSSANO VERMOND,
 CHIRURGIÆ MAGISTRO PERITISSIMO,
 REGIÆ CHIRURGIÆ ACADEMIÆ CONSILIARIO,
 REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ
 PRO RE OBSTETRICIA CHIRURGO SAGACISSIMO ; &c. &c.

IN GRATI ANIMI MEMORIAM.

HAS QUALESCUMQUE LABORUM PRIMITIAS

OFFERT, DICAT, VOVET ET CONSECRAT

EJUS DEDITISSIMUS ALUMNUS;

G. C. BY,

REGII CHIRURGIÆ COLLEGII CANDIDATUS.



C E L E B E R R I M O V I R O

D D . C A R O L O - T U S S A N O V E R M O N D ,

C H I R U R G I E M A G I S T R O P E R I T I S S I M O ,

R E G I E C H I R U R G I E A C A D E M I E C O N S I L I A R I O

R E G I N E C H R I S T I A N I S S I M E

P R O R E O B S T E T R I C I A C H I R U R G O C A C I S S I M O , & C .

I N G R A T I A N I M I M E M O R I A M

R E S G R A T I S C U M Q U E L A B O R U M P A R I T I A S

O F F E R T , D I C A T , V O V E T E T C O N S E C R A T

L U S P E R I T I S S I M U S A U G U S T I N U S

G . C . B . Y .

R E G I I C H I R U R G I E C O L L E G I I C A N D I D A T U S



DE RUPTO
IN PARTU UTERO.

THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

I.

U BI primùm ardere incipiunt partûs dolores, vix ac ne vix quidem eventum præſagire licet; tot obſtare poſſunt cauſæ! tot naſci obices! tot denique occurrere accidentia! Etsi accedunt contractiones & iterantur; etſi legitimis conatibus os uteri dilatatur, explicatur, attenuatur; etſi collectæ, ruptis membranis,

A

effluerunt aquæ, caputque infantis progreditur; etsi denique, nec hæmorrhagiâ nec convulsionibus corripitur paritura mulier; attamen faustum nuntiare successum non decet. Ecce subito remittunt dolores, & inquirenti causa patet: vel caput infantis obliquè situm, vel incuneatum, vel ipse fœtus perversè compositus, vel renitens os uteri, vel denique pelvis vitium quodlibet, irrita parientis conamina reddunt; & licet jam pluriès feliciter parturierit mulier, fœtum de novo in lucem edere nititur incassum. Quid inde? Ars subveniat necesse est. Sed beneficæ fidens naturæ obstetricans, periculum in morâ non judicat, cunctatur; intereà recrudescunt dolores, fœtum inæqualem inæqualiter premit uterus summè moliens, repetitis contractionibus resistit immobilis infans; quâ plus eminent parte, oppositum visceris parietem contundit, debilitat, lædit, imminet ruptura uteri, & reverâ accidit. Hac de strage disceptaturæ, quædam de utero gravido præmittemus.

I I.

Ex anatomîâ patet uterum fibris muscularibus diversimodè dispositis, mirum in modum replicatis, decussatis, intricatis, textu celluloso, *vasis nervisque instrui*. *Vasa sanguifera*, ab hypogastricis & spermaticis oriunda, ad matricis latera externè protenduntur, totam visceris substantiam tortuosè perreptant, sinus alluunt, in superficie internâ dein hiant. Sic antè & post graviditatem; at in prægnantibus fit mutatio, primo gestationis tempore vix sensibilis, sed versùs tertium quartumve mensem valdè notabilis. Ampliatâ uteri cavitate expanduntur fibræ, explicantur vasa, rectiori viâ incedant, uberiorique latice sanguis affluit, potissimùm eâ sede quâ hæret massa quam placentam nuncupare solent. Hinc videtur quantum à vacuo differat uterus gravidus ratione sitûs, figuræ, molis ac crassitiei. Qui

enim vacuus partem pelvis infimam intestinum rectum inter & vesicam occupat, accrescente ovo, sensim ac sensim dilatatus & expansus in ventrem assurgit: figuram pyriformem in rotundam mutat, tali mole crescit & augetur ut circa graviditatis terminum, intestina undique repellens, cavum abdominis ferè solus adimplere videatur. De causâ quæ proximè uterum expandit dudùm disceptatum est: à latice in amnii cavum jugiter stillante produci creditur hic effectus, & unicuique verisimile videtur (1). De hujus visceris crassitie, tempore gestationis, magna lis est. Uterum nihil amittere crassitie suæ, contra autem inspissari pertinaciter contenderunt plurimi ac celeberrimi auctores (2), quam crassitiem venarum sanguine turgidarum summæ dilatationi tribuebant (3). Hos omnes in errorem delapsos, cum aliis non minoris subsellii scriptoribus (4) possumus asserere; invitis enim constat adversariis, gravidæ ventrem contrectanti sensiles esse infantis motus, ejusque partes quandoque distingui posse ac si charta tantùm dextram contrectantem inter & uterum esset interposita. Insuper si gravidum secueris uterum, & adhuc amnii liquore refertum, hujus tenuitas patebit (5). Erroris ergo

(1) Ccl. M. Piet. Dissertation sur les eaux de l'Amnios, p. 46.

Ccl. M. David. Dissert. sur l'us. des eaux de l'Amnios, p. 8.

(2) Inveni gloriam sibi tribuit *Dulaurens*. Anat. Lib. 7. Cap. XI. p. 339
— Crassam matricis sustinet substantiam Rosset. de part. Cæsar. Edit. Bauhin. p. 4. — Deventer qui in Mauriceum insurgit. nov. lumen. c. 8. Mery in act. Reg. scient. 1702. p. 292. — Heist. Comp. Anat. notâ 31. — Nortwyk. inter rarissima ponit si quandoque extenuetur. *uter. hum. gravid.* p. 111. crassam se vidisse refert Hall. El. phys. t. 7. p. 57.

(3) Haller. l. c. p. 58. — Heist. l. c. Rœderer. El. obst. §. 52. — Muller. de utero rupto. §. 35.

(4) Galenus de Anat. uteri c. 8. — Avicenna lib. 3. fol. 21. tract. 1. c. 1. *Ætius* tetrabibl. 4. Serm. 4. c. 1. — Mauriceus, Traité des maladies des femmes grosses, C. 4. p. 21. — Stalp. vander Wiel. obs. Rar. Cent. post. pars. prior. obs. 30. p. 316. — Dionis. operat. p. 165. Ccl. M. Piet. l. c. p. 47.

(5) Ccl. M. Piet. l. c. p. 43.

causa fuit quod matricem vacuam & jam contractam incidebant; fœtum quidem habebat contentum, sed fluxerant aquæ & jam contrahebatur uterus; tunc temporis crassum invenère, nec mirum. Nec magis favebit venarum amplitudo, duntaxat enim in placenta areâ turgescunt, & in omni aliâ uteri substantiâ planè exangues videntur, sicuti & sinus qui aliundè arctissimi; hinc per transfennam observare liceat, in hysterotomiâ si placenta areæ parcat Chirurgus, vix aliquid sanguinis effluere (1).

I I I.

Ex hac tenui substantiâ fœtui expellendo minùs infervire uterum non consequitur, sed quantùm, in partu impedito, rupturæ faveat illa dispositio facilè dignoscitur. Etenim ubicumque obnitenti & sese contrahenti utero nimium resistit fœtus, ibi viscus dilacerari potest (2). Tanti infortunii ætiologiam explanare intricata res est.

(1) L'incision de la matrice ne donna pas une seule goutte de sang. *Vid.* Récit utile & curieux, Edit. an. 1740, a cel. M. Souchay, de sectione Cæsareâ à Cel. M. Soumain celebratâ — Idem evenit in eâ quam an. 1768. Celebravit noster celeberrimus Magister Vermond. Nos autem non later quandoque hæmorrhagias esse observatas, non negat Rosserus, & vidimus semel, operante tamen Chirurgo peritissimo; sed hic fortè, ut alias, in causa fuit sectio inferius celebrata: uteri collum & vaginæ superior pars dissecta erant. Ab alio quoque incisa fuit sedes placenta, & exinde hæmorrhagiam subiisse mulierem notum est.

(2) Ad fundum rumpi potest uterus. Guillemeau, liv. des Accouch. obs. 9. — Simon Scholsius in Eph. nat. cur. d. 1. A. 2. obs. 85. p. 159. — Lamotte obs. 391. Ad latera, & propè collum, quod sæpius observatum, Guillemeau, l. c. obs. 1. Salmuth, apud schenkium, p. 12. — Andr. Löw. nat. c. d. 2. A. 9. obs. 115. p. 194. Stalp. v. der Wiel. c. 1. obs. 66. Mauriceau obs. 251 & bene multi, Rupturâ vaginæ fœtus in ventrem delapsus Saviard obs. 25. p. 131.

Causas tamen in externas & internas dividemus. Quidquid prægnantis abdomen percutere vel fuggillare valet, pro causâ habeatur externâ; ictus scilicet, lapsus, nifus violenti (1), validæ compressiones, quibus præcessis ita læditur jam attenuata matricis substantia, ut dum in fœtum reluctantem se contrahit in partu, hujus resistentiâ rumpatur; rupturæ etiam ansam præbere poterit insciè percontans, iterato tactu, inconsiderata manus. Internæ causæ vel à matre, vel ab infante pendent; ab infante, si sit malè compositus (2), si caput nimium, aut incuneatum, aut malè situm (3). Ex parte matris, uteri morbus & læsio (4), tenuitas (5), deviatio, vitiata pelvis (6), tandem quæ omnia partum aut retardare aut impedire possunt. Hæc autem duntaxat rupturæ favent, si quidem fœtu reluctante, propriâ actione se ipsum dilacerat uterus (7).

(1) Mulier valens & vegeta, quatuor ante partum septimanis, prona & in genua cadens, sonum quemdam in ventre, tanquam crepaturam *audivit*, statimque reliquo gestationis tempore solito tristior, ponderosior, & pallidior fuit, *comedit* tamen, *dormivit*... de pondere potius interdum quam de dolore ventris *conquesta* præfixo partus tempore dolores *sensit*, sed frustra, ac tandem eâ extinctâ & apertâ *absolutissimus fœtus* in sanguine materno in medio abdomine *natabat*, nullâ putredine *infectus* aut fetore *gravis*. Apud th. Barth. *de inf. part. viis, obf. Jo. Casp. Faulsi*, p. 76. A lapsu uterum ruptum etiam refert Belhing. *diff. de rupt. utero*.

(2) Hild. C. 1. obf. 64. Extra vergente sinistrâ manu.-- Dextrâ ad scapulam Scholfius l. c. La Motte, obf. 392.

(3) Mauric. obf. cit. D. Thibault in diario med. mensis Novembris 1754.

(4) Hild. C. 1. obf. 67.

(5) Stalp. v. der Wiel. Cent. post. p. prior. obf. 30. p. 315.

(6) Joh. Jac. Harderus. nat. cur. dec. 3. A. 5. & 6. obf. 133.

(7) Fœtus uterum quatientis convulsionibus, rupturam tribuunt complures, & imprimis, Cel. M. Levret; salvâ summi viri memoriâ, qui longo felici *præceos* decursu casum hunc nunquam vidit, hæc infirmari potest opinio. Post eruptas aquas uteri contracti minuitur capacitas; coarctatur

His reverâ causis occurrentibus, effusis aquis, etenim ferè nunquam ante summos nifus adhibet mulier; vehementiores exercet viscus contractiones, qui status si diu perduret, tandem rumpitur uterus, unde impeditâ naturali viâ, infanti sive fano, sive mortuo via quandoque patet, quâ toto corpore cum secundinis (1), aut pedibus (2), aut capite (3), aut medio corpore (4) in ventris cavum prorumpit. Quæ varia frequentius olim observata; at melioris hodiernæ praxeos usu rariora.

I V.

Ubi, partu impedito, acriter urgent repetitæ contractiones; pungitivoque, nec non constanti semper & eodem loco, dolore queritur mulier, nec tamen ulterius progreditur infans; attendas, jam de matricis crepaturâ metus est. Tunc si fœtum non convertas, vel aliâ arte quam primùm extrahas: periculum in morâ. His neglectis mediis, mox exclamat enitens, auribus instrepit fragor (5), remittunt dolores, dein cessant omninò, stillat sanguis, locum formamque mutat abdominis tumor;

infans, & cò magis, quod magis urgent contractiones, ita ut infantis egressui si sint obstacula, quasi inter prelum hunc comprimî demonstrat experientia. Non negamus subsidente viscere moveri fœtum, nec convulsionibus corripî posse, contendimus tantùm, ut ex nostris patet observationibus, ab utero pelli fœtum immobilem & ab eo si quolibet obice renitatur, viscus sed passivè rumpi.

(1) Scholius l. c. M. Thibault des Bois, in diar. Med. mensis Maii 1768. M. Lambon, Chirurg. Aurelianensis, & act. præses uî dicemus.

(2) Hild. C. 4. obf. 57.

(3) Id. C. 1. obf. 64. quod etiam observavit cel. M. Robin. l. cit.

(4) Reifelius. nat. cur. d. 11. A. 7. obf. 10. Gregoire. Hist. Reg. Scient. Acad. 1724. p. 36. arr. 5.

(5) Heist. l. c. Roederer. l. c. §. 764. Belhing. l. c. — Robin. — Lambon. — Actûs præses & alii.

quæ

quæ modò dirè torquebatur, nunc quieta apparet prægnans; sed eheu! fallax malacia proximam prænuntiat procellam; mox horrenda malorum cohors, properato cursu, advolat, scilicet languedo, pulsus tenuis; nausæ, vomitus, singultus, extremorum frigus, crebra animi deliquia, in quibusdam convulsiones. Quæ quidem cum occurrunt, rupturæ trahi potest suspicio; tactu autem certò scies. Digito inquirenti, antea obvium, frustra quaeritur caput (1); per uteri rupturam dextræ via patet; sub regu-
mentis distinctè foetus devii partes atrectare est (2). Aut si pars quædam infantis extra genitalia propendeat, ex allatis modo signis haud difficiliùs de morbo judicabis; quod quidem arduum sanè, & magis si caput obvium incuneatur.

(1) Thibault des Bois, l. c. Cel. M. Deleurye, nota 4. pag. 12.

(2) Anno 1776, mensis Octobris 30 die accersitus Cl. actus præses ad pauperulam parochiæ St. Eustachii, trium liberorum matrem, defunctam horâ septimâ matutinâ a partu denegato. Solo tactu abdominis inæqualiter tumefacti, præcipuè ad umbilicum latere dextro, foetus pedes hic faciliè distinxit. Mortis causas & symptomatum seriem ab obstetricibus sciscitatus, tres continuos dies, partus dolores acerrimos passam fuisse audivit, sed præcipuè versus ossa pubis: quo quidem dolere semper & in eodem constanti loco, pridie adhuc diriore cruciata, subito exclamaverat, dein crepitu quodam audito, quieverant dolores, immò abhinc omninò remiserant. Tum sublevatam sese affirmabat mulier, sed mox heu! recruduerunt accidentia; horâ decimâ ferotinâ, singultire incæpit prægnans, liquores nunc atro virides, nunc croceos totâ nocte evomuit, dum tandem viribus fractis deficiens, vitâ placidè decessit. Hujus ce infortunii testem desiderans, Cel. M. Piet vicinum advocavit cl. præses. Quo advento, incisis regumentis apparuere pedes ubi diximus, foetus transversè situs, caput ponè uterum, facies superna; funiculus inter infantis crura; ad capitis latera placenta; uterus contractus jam voluminis $\frac{1}{2}$ imminuebatur, in collo antroorsum transversâ aperturâ disruptus, cæteròquin sanus aspiciebatur. Inciso viscere, in fundo apparuit prior placentæ sedes. Minima duo sanguinis in abdomine reperta sunt coagula.

Tam funesti morbi accidentibus non inconsultè pensitatis ; inter pessimas haberi prognosin nemo inficias ibit. Periculosa plenum opus alex facile dijudicatur uteri sectio, vel peritissimâ manu celebrata ; quantum à fortiori discriminis secum afferunt dilacerationes subitanæ & rupturæ quibus frequenter imminet gangræna. Sæpè sæpius cum desperata res est requiritur auxilium, aut si maturè, jam gravidæ periculo territi, jam muliercularum clamoribus & consiliis molestè fatigati, vel præjudicatâ opinione abrepti, unicam operationem respuunt parentes & amici. Aliàs etiam, fatali quodam operandi metu, tristi fato permittitur mulier, & sic ingravescente ad ultima morbo, nunc viribus paulatim deficiens, nunc convulsionibus correpta, miserè occumbit (1).

V I.

Quod autem infaustissimi sit ominis uteri ruptura, non ideo tamen omnis spes abjicienda, præsertim in non nimis extenuatâ muliere. *Arti viam detexit natura. Quandoque fœtum in ventre dissolutum, aperto abscessu externo foras eliminavit* (2). Aliundè

(1) Aliæ placidè vitâ decesserunt. Low. l. c. -- Scholsius, l. c. -- Stalpart vander Wiel. l. c. Act. præses l. c. aliæ in convulsionibus. Haller opusc. pathol. obs. 38. hist. tertiâ. Belhing. l. c. M. Robin.

(2) Mainald, de part. prodig. in quo à rupto utero, in ventris dextrum latus irruit infans, quo relicto ita convaluit mulier ut paulo post de novo imprægnata fuerit, idem evenit secundo partu. Hic infans in latus sinistrum. Tribus quatuorve mensibus elapsis, alter abscessu spontè aperto propè umbilicum dextrorsum, exemptus est, & alter factâ sectione ubi magis pars prominebat in latus sinistrum. Convaluit mulier. Leg. in Planque, Dict. T. I, p. 167, —

patet ex observationibus, plures ex vulneribus in abdomine simul & utero gravido inflictis, sanatas & superstites evasisse mulieres(1);

Alterum extat in le Dran, obl. 92, exemplum à M. Merivier communicatum, aperto abscessu gangrenoso eliminatus est infans. Hic tubariam suspicatur conceptionem M. le Dran, verum amnii liquoris per vulvam effusio, per partus dolores, uteri rupturam satis demonstrat. -- Casum non minus mirandum Ch. aëtus præfidi communicavit D. Halot. D. M. P. in hoc effluxis aquis, foetum educere frustra conata est pragnans, remissis doloribus convalemtem credebant, sed tribus elapsis mensibus, abscessu in abdomine laborabat, sponte aperto duobus in locis, tenuissimis hiatibus, in magnum urbis Nosocomium (l'hôtel Dieu) abiit; per fistulas incisiss & musculis & Peritoneo apparuit foetus jam putrescens, fluebat pus; intestinum colon ulceratum videbatur, artificiali cum ano convaluit mulier; nunc omnino restituta vivens & rectè valens.

(1) Anno 1588, 11^a. Martis, mulier gravida tribus juxta umbilicum digitis dextrorsum versus, glande plumbea è sclopeto confossa est; foetum utero conclusum à summo humero dextro ad lumbum oppositi lateris trans medium palmonem & diaphragma totum penetravit glans. Sesqui horâ postea foetum enectum cum secundinis non multum ægrè peperit... convaluit mulier. Rosset. de part. cæf. Histor. memorabilis, p. 215. -- Aliud exemplum legere est, ex J. Mart. Reichard. anno 1735. Cauponis uxor gravida, ita vulnerabatur ictu sclopeti minimi, globulis plumbeis quorum alii in scapulam sinistram, alii in brachium, &c.... Præter hæc vulnera leviora, præcipuum reperiebatur in abdominis sinistro latere, latitudine manûs sub umbilico obliquè versus dextrum, cujus finis cum specillo sciscitatorio non potuerat attingi.... viso sanguine in lipothimiam incidit mulier, vomitu paulò post correpta est. Crassinâ die urgebant partus dolores, quibus ingruentibus, & effluxis aquis paulo post & momento citius sanum & benè formatum filiolum in lucem edidit... sed mox ubi læsio quaerenda esset innotuit, nempe recens nato infante à sordibus adherentibus abluto, vulnus à globulo plumbeo ciceris majoris magnitudine inflictum, super infantuli dextri lateris claviculâ in conspicuum venit; ex quo frustulum linteaminis indusii vi machinæ ignivomæ decerpti, ac illuc delati extrahebatur, globulus autem demùm 24 ejusdem mensis ex cute ferè papyraceâ factâ excindebatur..... Superatis accidentibus gravissimis, sanata est, sed longo tempore, mulier. Vid. Dissert. de utero gravida unâ cum foetu vulnerato. in Disp. Chirurg. sel. ab Hallero. t. 5. p. 102.

hinc ineluctabili fato prægnantem eripiendi spes non mediocris affulget. Statim ergo post uteri rupturam (ut cum matre servetur si possit) fœtus quàm celerrimè extrahendus. Quibus autem mediis utetur Chirurgus, hoc opus. Quando pedibus arreptis, aut aliter naturali viâ educi potest infans, seligendam hanc methodum autumant (1); vera hæc apparet indicatio; presenti mitiori auxilio, quamlibet sectionem horrescit Chirurgus. Verùm si variæ recensentur & perpenduntur observationes, soli sic Rungio hæc methodus (2) prosperè successisse videbitur; aliæ omnes, partu absoluto, vitâ decesserunt mulieres (3), quas ad orcum deduxit aut viscerum

(1) On doit préférer cette voie à l'opération Césarienne, en supposant même que l'endroit de la matrice qui resserre le fœtus fasse quelque résistance, Cl. M. Simon, in act. Reg. Chir. Acad. t. 2. p. 322.

(2) Heist. inst. Chir. t. 2. p. 728.

(3) La Motte, l. c. Haller, l. c. Hist. 1 & 2. Burton t. 2. obs. 7. p. 172. vertente cl. Le Moine. -- hoc anno die mensis Maii 23^a. mulier annorum 33, quatuor liberorum mater, quintâ vice gravida, metam tangens, partus dolores interdum experiebatur; per 48 horas paulatim effluxere aquæ, caput obvium tactu explorabat obstetrix, 25^a urgebant dolores, sed non ultra progredi videbatur infans; hæc die horâ quintâ pomeridianâ advocabatur cel. M. Deleurye, qui caput sed obliquè situm, cute tumefactâ, agnovit. Quod semper facilè pepererat ritè conformata mulier, hoc in partu sic succedere posse existimavit. Pulsus erat frequens & durus, sanguinem è brachio mittendum iudicavit; quo peracto remiserunt dolores; 26^a denuò urgebant contractiones; caput licet obliquum in pelvi superius fretum progredi videbatur. At repente nisibus ingruentibus, de infantis insolito motu querentem, simulque se suffocatam dicentem, & imi ventris calore vexatam audivit obstetrix, quæ statim mulierem tetigit, sed frustra caput quærebat; tunc cel. M. Deleurye manum, horâ serotinâ sesquiundecimâ, imploravit. Antèa digito obvium caput nusquam occurrit. Digitum mœconio sordidum reducit. Collocatâ Prægnante ad partum præternaturalem, femur & pedem invenit, traxit, & absque ullâ difficultate totum unâ cum secundinis exemit infantem, cui circa collum ter contortum fuisse funiculum asserit obstetricans. Rursus illapsâ manu in uterum, intestina tetigit, & incausum reducere tentavit. De rupturâ uteri certior factus, morituram

fuggillatio, aut sanguis in abdomen diffusus. Quâ enim viâ, retracto viscere, diffuere humor? evocari ne poterit injectionibus in uterum & per crepaturam in abdomen missis, uti monet cel. Crantz? At à suomet ipse consilio diffidit, moxque ad servandam puerperam sectione evacuandos humores præcipit (1). Anceps sanè hoc in casu Chirurgia.

Aliud autem est, si toto corpore in ventrem prouerit infans, aut si arte per naturalem viam educi nequeat. Unica tunc superest tentanda gastrotomia, dura cogit necessitas, ratio dicitur, probat experientia (2). Itaque quo loco magis eminenti infantili partes, hic cautè incidatur abdomen, peractâque sufficienti sectione, cum secundinis extrahatur fœtus; quantum licet evacuentur liquida, si quæ sint, auferatur grumofus sanguis, & ut in hysterotomiâ deligetur vulnus. At si pars infantis ita retineatur ut absque visceris dilaceratione adduci nequeat, incidet-ue uterum,

uxorem conjugi præfatus est; & reverâ elapsis horis quindecim, convulsionibus miserè cruciata obiit. 23^a manè apertum est ejus cadaver adstantibus MM. Lesne, Deleurye & cl. actûs præside; inciso ventre vix sanguinis diffusi aderat sesqui libra; intestina inflammata, necnon uterus jam putrescens, aspiciebantur; in parte visceris anteriori tribus digitis supra orificium, rupturam semi lunarem & laciniatam conspexerunt, quâ dimidio corpore in ventrem prouisse judicari potest. In parietale infantis dextro tumor aderat oblongatus, quo patet obliquè situm fuisse caput infantis, sicque denegatâ viâ, iteratis contractionibus sese dirupit pressione capitis læsum viscus.

(1) L. c. §. 42.

(2) Anno 1767, 4^a mensis Octobris die, gastrotomiam optimo cum successu celebravit expertiss. d. Thibault des Bois, Cenomani Chirurgus. vid. in diar. med. mense Maii 1768. ad vitam rediit mulier. ~ Hanc quoque, & quod mirum, bis celebravit in eadem muliere D. Lambron Aureliani Chirurgus expertissimus. 1^o. Augusto mense 1775. 2^o. Mense Octobris 1778. Postcâ Januario mense 1781, partu naturali, mulier infantem faciliè & brevi tempore edidit hodiè vegetum & validum. In Epistolâ ad Cl. act. præsidem notat D. Lambron ter ante primam operationem peperisse mulierem, sed partibus

ex consilio cel. Crantz (1)? Quid verat? casu supposito, melius est secare quàm dilacerare. Quinimò, si rupturæ labia putredine correpta videantur, & spes salutis remaneat, exsecanda judicamus, Celsi præcepto, *satius est anceps experiri remedium quàm nullum.*

difficillimis cum acerrimis doloribus & diuturnis. Duo primi infantes intra pelvim periére; vixit tertius qui minimus erat. Has reg. Acad. Chir. observaciones communicavit.

(1) L. c. §. 37.

Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M. GUIDONE-FELICE ALLAN, Artium Facultatis & Chirurgiæ Magistro, Regis, in magno Consilio, Chirurgo ordinario, necnon in Regiæ Familiæ domûs & Franciæ magnâ præfecturâ ad relationes jurato, tueri conabitur GUILLELMUS-CAROLUS BY, Parisinus, præclare Artium Facultatis Magister in Universitate Parisiensi, necnon SERENISSIMI PRINCIPIS Biturigum Ducis, Chirurgus ordinarius, Theses auctor.

P A R I S I I S.

Die Sabbati 15 Mensis Junii. Anno Salutis 1782, à sesqui-
secundâ post meridiem ad septimam.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREÆ.